§. I.

MIssis inutilibus Criticorum altercationibus, tricis atque deliramentis, quibus in evolvendis vocum originibus ad nauseam usque quandoque ineptiunt, paucis solummodò pro scopi nostri indole animadvertimus, vocabulum φθίσις à φθίνειν vel φθιειν, quod est contabescere, absumi, corrumpi &c. ortum suum ducere, atque adeò vi hujus suæ denominationis tabidam totius corporis consumptionem designare. Quia verò plures talium affectuum, corpus sensim depascendo imminuentium, species dantur, uti sunt *febris hectica*, quæ renum, hepatis aliorumque viscerum corruptioni supervenire solet, pulmonibus prorsus illæsis, nec non *marasmus*, senibus familiaris, uti & *atrophia*, quæ ex vitiis depravatæ nutritionis enascitur, ipsaque *pulmonum vomica* vel *apostema pectoris*, quos morbos pariter successiva talis extenuatio consequitur; Hinc omninò necessarium est, hunc nostrum affectum, nempè *phthisin pulmonalem*, ita in sua specie collocare, ut ab omnibus reliquis *Tabis* speciebus distingui facilè queat, cum absurdum utique sit, à solo illo symptomate, tabida nempè corporis consumptione totam affectus, qui potius in pulmonum exulceratione consistit, denominationem derivare.

§. II.

Quare, ut omnem *homonymiam* tanto cautius evitemus, neque symptomata cum morbo ipso confundamus, citra prolixum verborum ambitum eloquimur, nos per *phthisin pulmonalem* intelligere *actualem pulmonum exulcerationem* seu continui in textura eorundem solutionem, conjunctam cum *tussi*, *rejectione variæ materiæ* primum *sanguinolentæ*, deindè *subalbidæ*, subindè *luteæ* imo & *cinereæ* atque *cœnosæ*, cum *febre lenta* atque *hectica*, *defectu virium* & insequente tandem *tabida totius corporis consumptione* aliisque symptomatibus. Diximus *phthisin* esse *pulmonum exulcerationem*, ut à *suppuratione apostematica*, quæ abscessibus tantum propria est, eandem sollicitè distinguamus: Falsissimus enim est canon Chirurgorum: Ubi *pus* ibi quoque *ulcus*; Quia

ulcus ſua natura, in partibus potiſſimum exſanguibus ſeu multo ac copioſo ſanguine non perfluis, in ſuppurationem difficillimè tranſit. Ut adeò verum pus ex ulcere expectare velle, nihil fermè ſit aliud, quam ab aſino lanam petere.

§. III.

Rem ita ſeſe habere, h. e. in vera pulmonum exulceratione *phthiſin* nempè conſummatam, de qua loquimur, conſiſtere, ſectiones cadaverum, morbo iſto denatorum, clariſſimè demonſtrant, qualium obſervationum ingentem numerum paſſim Practicorum volumina, inprimis verò ſepulchretum *Boneti*, opus nunquam ſatis laudandum, nobis ſuppeditant. In nonnullis enim talium Phthiſicorum, præterquam quod pulmones ulceratam ſui corruptelam perpetuo fermè exhibuerint, detecti quoque fuere *ſcirrhi* ſeu *nodi ſcirrhoſi*, materia mucida repleti, in aliis *tubercula grandinoſa* per pulmonum ſubſtantiam diſperſa, in aliis *abſceſſus* & *apoſtemata*, in aliis *lapides* fuerunt obſervati, in aliis *pulmones flaccidi*, *exſucci*, *decolores*, putridi adparuerunt; In aliis parvæ *vomicæ purulentæ* hinc inde ſeſe manifeſtarunt; In aliis penitus conſumpti & nigri conſpecti ſunt pulmones; Alii alia eorum vitia detexerunt; Quæ omnia ad affectus hujus pathologiam tanto rectius inſtruendam haud parum faciunt.

§. IV.

Ad quam priusquam accedamus, juvabit primarias *phthiſeos pulmonalis* circumſtantias, ſaltem *hiſtoricè*, recenſuiſſe; Inter quas primo meritò loco recenſemus ingentem illam proclivitatem ad phthiſin admittendam, non niſi in certa ac ſpecifica ætate, nempe juvenili ſeſe exerentem, quæ ſecundum adnotationem *Hippocratis* & ſine dubio omnium antiquorum, qui ante ipſum vixerant, & ex quibus ille ſuas obſervationes hauſerat, ab *anno decimo octavo ad trigeſimum quintum* ſeſe extendit. Huic verò circumſtantiæ aliam alio loco non minori attentione dignam addit, quod in eandem illam ætatem ſanguinis ſpuitiones ſeu hæmoptyſes & tabes ſeu phthiſes familiarius quam in ullam aliam cadere ſoleant. Quas ſolertiſſimas *Divi Senis* obſervationes experientia vulgi in hunc usque diem adhuc confirmat, dum

ſuſpicio-

ſuſpicionis pleniſſimas judicat hæmorrhagias narium frequentes, quibus nonnunquam in ætate puerili quædam ſubjecta utriusque ſexus præ aliis frequentius expoſita eſſe deprehenduntur: Talibus enim triſti præſagio, quod plerumque eventus æque triſtis confirmat, prædici ſolet, phthiſicos fore ejusmodi infantes, quia ſucceſſiva ætate vel ſponte ceſſantibus, vel temerario artificio ſuppreſſis iſtis narium hæmorrhagiis, in earum locum ſuccedunt in adoleſcentia vel pertinaces ſanguinis congeſtiones verſus pulmones vel actuales ejusdem ex illis eruptiones, quas tandem (in conſulta inprimis arte cohibitas) phthiſis ſubſequitur.

§. V.

Non quidem parem, attamen haud omnino negligendam hic attentionem meretur tam *temperamentum* quam *univerſus corporis habitus*. *Priori intuitu* non quodlibet æqualiter *temperamentum* ad phthiſin diſponit, ſed potiſſimum *Cholericum* vel *Cholerico-ſanguineum* vel *Cholerico-Melancholicum*: *Poſteriori* verò *reſpectu* vel dudum ipſi vulgo innotuit, homines teneros, macilentos, graciles & procerioris ſtaturæ phthiſi eminentius quam alios expoſitos eſſe: Quarum tamen cauſarum propior & efficacior influendi energia eſt ſub ſtatu corporis plus minus plethorico, inprimis ſi quacumque de cauſa plethora iſta in motum concitata exitum affectet, eumque in finem iteratas verſus regionem pectoris congeſtiones, ipſas tandem actuales eruptiones molientes inſtituat, favente præcipuè omnibus hiſce apparatibus diſpoſitione ætatis, de qua modo diximus.

§. VI.

*Sexus diverſitatem* quodammodo etiam variare ipſam illam proclivitatem ad phthiſin ſuſcipiendam, ſolertioribus harum rerum Obſervatoribus non poteſt eſſe ignotum. *Fœmellas* enim *frequentius*, quam *viros*, experiri phthiſin, quis ignoret? Inprimis ſi illis quacumque de cauſa evacuationes menſtruales vel impeditius ſuccedant vel aliquam ataxiam incurrant vel plane ſupprimantur: Talibus enim in caſibus, ſanguine per vias uterinas exitum non inveniente, fiunt ejusdem regurgitationes & repreſſiones verſus ſuperiorem corporis regionem, unde congeſtiones,

ſtiones, reſtagnationes, ſtaſes, tandemque corruptiones oriuntur: Subinde tamen *Viros*, licet non pari æque frequentia, invadit quoque phthiſis, illa tamen perpetuo obſervanda inter utrumque ſexum differentia, quod *Fœmellæ* longè mitiore phthiſeos *progreſſu* adficiantur, *Viri* verò ſemel illa affecti longè *ferociores* ejus *progreſſus* experiantur.

§. VII.

Cæterum, quos jam phthiſis actu occupavit, non æquali vehementia ſymptomata ſolent affligere: Reſpiratio plerisque obtingit difficilis; Nonnulli citius, nonnulli ſegnius viribus ſuis privantur; Alios tuſſis acerbiſſima exagitat, nulla interim aut ſaltem vehementiæ excuſſionis non reſpondente materiæ rejectione, per expectorationem ſubſequuta; Aliis verò mediocris ſcreatus ad ſputorum exonerationem ſufficit, quibus inſuper tanta nonnunquam copia ſuccedunt, ut integram pelvim per nyctemerum adimpleant. Sputa quoque, quæ à phthiſicis rejiciuntur, non unius ejusdemque indolis ſunt, interdum albicantia cum ſtriis ſanguineis permixta, interdum lutea, livida, odorata vel odore inſigni carentia. Cænoſa, cinerea atque argillacea ſeu quæ argillæ liquidioris ſpeciem mentiri videntur, in phthiſi deſperata tantum obſervantur, eaque non levi opera rejiciuntur, ſed multo cum labore, ſi quidem & propriam ob gravitatem difficilius commoventur & pertinacius quoque ſuo quaſi in ſtagno delitescunt, proinde expectoratione prius tunc non excutiuntur, quam mole ſua premant pulmonesque ad explodendam materiam talem urgeant. Nonnunquam etiam materia purulenta exſpuitur, quamvis non omnis, quæ talis videtur, etiam reapſe pro tali habenda veniat; Unde nec metum phthiſeos ſtatim injicit: Multis enim puellis, quibus excretiones menſtruales, obturatis viis uterinis, inſolita ratione per pulmones evacuantur, rejecto ſanguine, pus quoque excernunt, ſecuræ interim de phthiſi inevitabiliter & quaſi ex neceſſitate ſemper ſucceſſura: Siquidem puriſſimus quoque ſanguis vel venæſectione emiſſus, vel ex vulnere recenter inflicto exſtillans, moderato tepore paucarum horarum intervallo ita immutari ſolet, ut materiam purulentam non modo

do colore ſed & peculiari ſuo odore exactè referat. Sunt, quibus pulmonum exulceratio latius ſerpſit, quique filamenta quædam membranacea, integras carunculas, fruſta pulmonum vel venarum tuſſi rejecerunt. Præter univerſalem corporis contabeſcentiam facies ultimo emarceſcit, genæ ac tempora collabuntur, oculi intra orbitas ſuas profundius concidunt & colore livido in limbis ſuis imbuuntur, nares mentumque acuminantur & ſic *facies* verè Hippocratica exſurgit: Communiter quoque pallidior eſt facies, per intervalla tamen hecticum illum colorem, nempe roſeum in genis, cum lineolis tamen pallidis atque liveſcentibus interſciſſum, induit. Accedente verò febrili hectica commotione venæ frontis totiusque reliqui capitis extraordinariè turgent, imo & ſub hac potiſſimum circumſtantia roſeus ille color genas occupare ſolet.

## §. VIII.

Addimus hiſce circumſtantiis, Phthiſicos quoque, præterquàm quod difficilius reſpirent, etiam ad profundam inſpirationem ineptos eſſe, quod propterea ſignum pro *pathognomonico* nonnulli habere non dubitant; Unde & profundius inſpirando, tuſſis exacerbationem eo ipſo incurrunt internamque in pulmonibus preſſionem, quaſi nempe aliquid contra niteretur, profundam inſpirationem impediturum ſentiunt: Unde citò denuò exſpirandi neceſſitas ipſis incumbit, ad evitandum ſuffocationis, inde imminentis periculum. Fauces communiter phthiſicis ſunt ariores & ſaliva ſpiſſior, ſpumoſior atque parcior, quam ob cauſam etiam ſiti valdè moleſta excruciantur, ſub febrilibus exagitationibus linguæ ariditas major evadit & moleſtior, labia fiſſuras contrahunt & cuticulam ſuam deponunt. Adpetitus phthiſicorum communiter parcior eſt, interdum planè proſtratus, interdum ſolum irregularis & in frigida, acidiuſcula aliaque talia pronus. Alvus nonnunquam ſicca eſt, interdum præter modum laxior atque fluidior, ut plane in diarrhœam degeneret, ex qua tamen nullum commodum, imo potius major virium proſtratio, appetitus dejectio & reliquorum actuum fatiſcens torpor conſequitur. Urina vel pallida eſt ac turbulenta, vel in aurantium

 colorem

colorem proclivis, quoties febrilibus commotionibus exagitantur patientes. Ipſa quoque diaphoretica exſpiratio inæqualiter ſuccedit, ut inſolitam ſubinde in peripheria cutis ariditatem, ſubinde verò iterum madorem, in ſudores plane colliquativos degenerantem, experiantur.

§. IX.

Omnibus hiſce circumſtantiis illas quoque adhuc adjicere placet, partim quod phthiſis, redeunte vere & autumno, temporibus quoque æquinoctialibus & ſolſtitialibus, maximè verò circa eminentiores tempeſtatum mutationes, communiter exacerbari ſoleat, partim verò, quod hæreditariæ ſit diſpoſitionis imo & ſubinde planè contagioſæ indolis. Parentes enim phthiſicos tabidum talem characterem liberis ſuis imprimere, integræ familiæ teſtantur, quæ morbum iſtum hæreditario quaſi jure ad poſteros ſuos transmiſerunt. Et contagioſum ejusdem genium, ſi quis cum phthiſico quodam in eodem lecto decumbat, vel effluvia exulceratorum pulmonum unà cum aëre inſpiret, vel unà cum veſtibus phthiſicorum, ſi ab alio induantur, ſecum transferat, totidem quoque Practicorum obſervationes comprobant, ut rem in plena luce poſitam negare velle, ſit hominis extremè impudentis vel cum ſana ratione delirantis.

§. X.

Licet verò cuncta hucusque enarrata phthiſicorum phœnomena, quorum præcipua ſunt tuſſis ſicca ſubinde ac valdè diuturna, copioſa materiæ ſanioſæ rejectio aliaque talia, ſuſpicionem non levem animo Medici ingenerare queant de probabili phthiſeos pulmonalis præſentia, abſolutam tamen certitudinem, in ſignis tantum *pathognomonicis* quærendam non pollicentur, niſi cum univerſali corporis contabeſcentia, hectica, aliisque indiciis conjungantur, inprimis autem morbi ſeu læſiones pulmonum præcedentes, uti ſunt peripneumonia, hæmoptyſis, vulnera vel aliæ violentæ pulmonum læſiones &c. in ſubſidium vocentur. Alias enim difficillima eſt phthiſeos, potiſſimum incipientis, dijudicatio & potius familiariſſima ejus cum hectica aliisque tabis ſpeciebus confuſio, quotidiana praxi non pauca hujus

confu-

confusionis exempla nobis subministrante & abunde confirmante, asthmaticos, hypochondriaca tussi affectos, atrophicos, hæmoptyicos, hecticos vel aliis lentis febribus vexatos, haud raro ab imperitis *Practicis* pro phthisicis & habitos & tractatos esse, unde sine dubio ortum suum traxerunt thrasonicæ quorundam Practicorum gloriationes, qui totidem desperatos phthisicos pristinæ suæ sanitati (sua nempè arte) restitutos in scenam producunt, *æquivoca* morborum talium *curatione* miserè decepti.

§. XI.

Iisdem difficultatibus premuntur judicia, quæ nonnunquam de eventu phthiseos vel incipientis, vel quæ firmius nondum substantiæ pulmonum *innidulata* est, formant Practici: De confirmata verò vel jam prævalescente rarissimè fallit prognosticum, licet flebile omnique intuitu tristissimum, nempe omnem veram, pulmonalem seu cum exulceratione pulmonum conjunctam phthisin nullam plenariam restitutionem in integrum admittere, seu, quod idem est, incurabilem existere. Si quæ enim phthisicorum à Medicis curatorum hinc inde allegentur & recitentur exempla, certissimum est, quod in *vera* morborum *diagnosi* peritè dijudicanda crassissimos commiserint errores, vel dedita opera miraculosas tales curationes effinxerint, ut tanto majorem famæ existimationem apud imperitam & credulam plebem sibi parerent. Quis enim credat, Medicos solos ab ejusmodi piis fraudibus liberos, aut ab omni pædantismi vitio alienos esse? Præprimis cum plebejis quoque hominibus hodieque notissimum sit, effectum lethiferum tantò certius accelerari, quo magis inconguo artificio affectus irritatur: Unde in has similesque formulas suo more & verè quidem (cathedralem nempe non Clinicum intelligendo) erumpere solent: **Wann ihn der Doctor erst unter seine Cur bekombt / so wird er ihn bald vollends hin helffen**; id quod etiam eventus haud rarò ita comprobare solet.

§. XII.

Cæterum quotiescunque phthisi jam perfectæ accedit *hectica*, eaque per vices exacerbatur, toties funesto eventui adpropinquant ægrotantes. Communiter moriuntur vel sub hectica

 exacer-

exacerbatione, vel sufficientis expectorationis suppressione vel hæmorrhagiæ insolitæ, v. g. hæmoptyseos invasione, vel fluxibus alvi colliquativis supervenientibus, vel totali virium dissolutione tandem subsequuta, quæ quò magis exhaustæ sunt, patientes contabescunt & difficilius respirant, eò quoque propioris sunt morti. Quidam illorum satis placide, alii verò sub anxiis valdèque laboriosis pectoris commotionibus imò alii planè sub paralytica ejusdem resolutione indeque nata suffocatione exspirant. Quicumque cadaverosum pectore odorem exhalant, vel ipsa quoque materia rejecta graviter olet, illi omnes periculosè decumbunt. Sudores phthisicorum colliquativi vires nimium exhaurientes omni intuitu suspecti sunt. Capillorum defluvium nec non diarrhoeam in tabidis seu phthisicis lethalia signa judicat *Hippocrates*. Similiter deliria si conjungantur vel patientem gravius decumbere vel citius periturum significant. Citius affectui succumbunt, quibus vel universum pulmonum corpus vel alteruter saltem loborum pulmonalium pleuræ, ut contingere subinde solet, adnascitur. *Bennettus* observat, in omnibus tabe diuturna correptis, extremas partes primò infrigidationem sentire & contabescere; Imo vulgi observatio est: **Daß die Schwindtsüchtigen mehrentheils von unten auff sterben.** Periodica narium hæmorrhagia, dummodo modestiæ limites non excesserit, tabis successum interdum protrahit: Unde hanc observationem Practicis ideo diligenter commendamus, ut inde dispiciant ac solerter dijudicent, quid ad ultimum phthiseos eventum maturè præoccupandum Venæsectio, in statu præcipuè plethorico, facere queat? Cui observationi meritò illam quoque adjungimus, quod menstruorum recursus vel æqualis saltem successus haud parum fæmellas phthisicas sublevet, sicuti inordinatus eorundem progressus varias anomalias hunc affectum graviter prementes excitat.

## §. XIII.

Præmissa affectus nostri historia, tempestivum nunc esse videtur, ut ad causalem ejus declarationem descendamus, ubi tamen parum vel nihil tribuimus rhetoricis speculatorum modernorum

norum declamationibus, qui tot numero causas phthiseos enumerare imò potius effingere nobis solent, ut, si omnes influendi efficacia pollerent, miraculo proximum sit observare, tàm *paucos* nihilominus homines & insuper tàm *infrequenter* phthisi laborare. Huc imprimis pertinent narratiunculæ de diathesi sanguinis acri & salsuginosa, vel, ut aliis placet, constitutione scorbutica, seu acrimonia rodente salino-acida; Nonnulli planè pravam spiritus nervosi dispositionem arguunt, cui effectum rosionis seu corrosionis in pulmonibus adscribunt, ita nempè, ut serum sanguinis acre per molle & glandulosum pulmonum parenchyma secretum pulmones ipsos inferciat, inflammet tandemque exulceret. Mirari subit, cur fermenta ista acria salino-acida in nullo alio viscere vel parte effectum suum corrosivum exerant, quam potissimum in pulmonibus. Si teneritudinem partis accusent, in promptu est exceptio, cerebrum (ut alias corporis partes taceam) longe subtilius esse atque tenerius, neque tamen corruptioni tali tam facile ac frequenter patere, sicuti aptitudo ac dispositio causæ suppositæ inferre videtur. Cui accedit, cum nullo rationali conceptu conciliari ullo modo posse singularem illam circumstantiam ætatis, in qua demum phthisis manifestare sese solet, nempe in adolescentia vel juvenili ætate, cum longè utique probabilius sit, acrimoniam istam, si quæ adsit, multò facilius in ætate puerili vel prima adolescentia, tanquam teneriore & mollioribus flexilioribusque fibris prædita effectum istum corrosivum exerturam, quam ulla alia. Quod cùm intereà nulla solida observatio confirmare videatur, ad inanes & chymæricos conceptus recidit, quicquid de heteroclitis acrimoniæ istius effectibus gratis disseritur.

## §. XIV.

Ad eandem verò classem referimus quoque integras illas causarum, phthisi ex hypothesi ansam præbentium, turmas, quas *Mortonius* in sua *Phthisiologia* allegavit, & alii passim allegare solent, uti sunt metus, tristitia, iracundia aliaque graviora animi pathemata, uti & nimia nimisque anxia cogitatio, studia intempestiva & nimis longa, incauta alimentorum, excrementis

abundantium & digeſtioni minus aptorum ingurgitatio, exercitiorum debitorum neglectus, ſtudia nocturna & vigiliæ nimis protractæ, ſomnus longus atque diuturnus, aër craſſus, denſusque, paluſtris, vel fumo carbonum foſſilium oppletus, abuſus potuum ſpirituoſorum, inprimis vini aduſti aliæque plures, quibus ſecundum theoreticas viri hujus præfigurationes, vel univerſa ſanguinis maſſa coinquinetur, ſeroſaque & acris reddita, in flammam tandem hecticam erumpat, vel variæ hic illicve obſtructiones in tenuiſſimis fibrillis excitentur, vel ſpiritus animales, legitimæ ſanguinis fermentationi promovendæ tam neceſſarii debilitentur, conſopiantur vel alio modo coinquinentur &c. Præterquam enim, quod cunctæ iſtæ adeo vulgò decantatæ cauſæ vix ſufficere videantur profundæ tali ulceroſæ corruptioni pulmonibus inducendæ; Repugnat quoque primæ fundamentali *Medico-pathologicæ* veritati, nempè *infrequentiæ* phthiſeos pulmonalis, cujus jam in *Proœmio* meminimus. Auſim enim cum fiducia adſerere, inter ingentem hominum numerum, quos dictæ cauſæ circumſtant, vix milleſimum quemque repertum iri, qui actualem ulcerationis ſucceſſum inde incurrat, manifeſto planè documento, quam parum energiæ habeant cunctæ iſtæ cauſæ ad phthiſin inducendam.

§. XV.

Majori pollent efficacia alii *morbi prægreſſi*, inter quos primo meritò loco recenſemus vel *hæmoptyſin* ipſam vel ſaltem *molimina hæmoptyica*, quæ quidem ad ſinceram ſanguinis per pulmones excretionem reſpiciunt, ad eandem verò non ſemper pertingunt. *Priori caſu*, facta nempè vaſorum pulmonalium ruptura, indeque procedente ſanguinis extravaſatione, contingit ejusdem ſtaſis, quam corruptio, pulmonum texturæ conſentanea, h. e. ſegnis, ulceroſa tandem excipit, idque tantò certius, ſi per corticem peruvianum, quem herculeam *hæmoptoës* antidotum appellat Mortonius, aut alia hujusmodi adſtringentia intempeſtivè ſuppreſſa vel cohibita fuerit *hæmoptyſis*; Hac enim ratione grumuli ſanguinis reſtitantes in pulmonibus retenti, novo interim atque libero aliorum humorum aditu non intercepto,

vel

vel præpedito, liberæ corruptioni relinquuntur. Optandum autem foret, veritati practicæ undique respondere hyperbolicas laudes, quas cortici Chinæ tribuit *Mortonius*: Scilicet, dictum corticem non modo præsentem hæmoptoën citò ac tutò sistere, sed & futuram præoccupare: Sese hæmoptoën hoc modo curatam nunquam in *phthisin* terminatam vidisse; Quia flamma, quam ille sibi fingit, hoc modo penitus extincta & febre jam evicta, sanguis illicò in statum naturalem reduceretur, ut ne vel minima inde subsequuturæ phthiseos suspicio remanere posset. Longè verò aliter negotium sese habere, Practicis cordatioribus non potest esse ignotum: Neque enim modus fiendi, qua nempè ratione ex sanguine sincero, in pulmonibus restagnante, & propter intempestivam eruptionis suppressionem stasi detento, materia purulenta generetur, animum diu suspensum detinere potest, dummodo quis consideraverit, quomodo sanguine è vulnere recenti exudante & margines labiorum lambente, brevi temporis spatio pus confici soleat.

§. XVI.

*Posteriore* verò *intuitu*, negotio intra sola *molimina hæmoptyica* adhucdum subsistente, licet excretione sincera nondum subsequuta, oritur violenta sanguinis restrictio atque regurgitatio ab inferioribus, quippe sub majori strictura tonica versantibus, versus superiora, inprimis autem versus regionem pectoris atque pulmones ipsos, cui pertinacior congestio, vasorumque infarctus, illique localium motuum suppressio seu stagnatio succedit. Cum verò hac ratione plus sanguinis ad pulmones adfluat, quàm proportionatè per venas inde refluat; Consequens est, sanguinem, sua quippe natura ad congrumescendum pronum, vel suppurari, vel orta ejusdem pertinaciori stasi, scirrhosam indolem adsciscere, vel secessione partium seroso- lymphaticarum in acrimoniam salsam cum glutinosa visciditate junctam degenerare, sicque tandem in corruptionem ulcerosam facessere, quæ tandem hanc suam labem ipsi pulmonum substantiæ adfricat, eandem corrodit, & ulceroso- colliquativa corruptione afficit.

§. XVII.

Secundo loco merito commemoramus præcedentem *peripneumoniam*

*pneumoniam* vel *pleuritidem*, quas quippe viſcerum ac partium inflammationes, diſcuſſione illarum tempeſtivè non ſequuta, familiariter quoque *phthiſis pulmonalis* conſequitur. Omnes enim inflammationes hôc uno trium modorum ſolvi ſolent, nempe vel *diſcuſſione* ſeu reſolutione ſanguinis congeſti vel *ſuppuratione* ejusdem, vel partium, intra quas concluditur, ſphacelatione. Adjungimus ſupinum tempeſtivæ Venæſectionis neglectum, ſive ob moroſitatem & præjudicia Medicorum ſive ob ægrotantis & adſtantium metum vel contumaciam admiſſam: Frequens enim vicibusque partitis tàm *revulſorio* quàm *derivatorio* ſcopo prudenter adminiſtrata *Venæſectio*, nonnunquam ſine ullo alio adminiculo ſcopo curativo ſatisfecit. Qui abuſui expectorantium in inflammatoriis hiſce affectibus vulgo exhiberi ſolitorum hic aliquid etiam detulerit, à verò tantopere non aberrabit, inprimis ſi debitè expenderit, pulmonem craſſioris talis materiæ exonerationi commodè ſatis inſervire nec *poſſe* nec *debere*.

§. XVIII.

Febribus hiſce inflammatoriis ad latus ponimus *Vomicam pulmonum*, ex qua interdum quoque *Phthiſis pulmonalis* exſurgit, arroſis ſcilicet, a pure concluſo partibus pulmonum membranaceis, quam corroſionem corruptio preſſo pede ſequitur. Neque hinc excludimus *febrium* tam *intermittentium*, *tertianarum* & *quartanarum* inconſultas ac præmaturas ſuppreſſiones, &c, quod ajunt, in prima quaſi herba, ſuffocationes, quam ipſarum quoque *acutarum* temerarias in ſuis typis perturbationes, uti & *affectuum ſcabioſorum* perverſas repreſſiones, *ulcerum antiquorum*, *fiſtuloſorum* & *cacoëthicorum*, imo & fonticulorum artificialium minus neceſſarias occluſiones, *fluxuum* ſive *menſtrualium* ſive *lochialium* in fæmellis, vel *hæmorrhoidalium* in viris ſuppreſſiones, incongruas recrementorum ſeroſo- acrium, ad peripheriam excuſſionem deſtinatorum, metaſtaſes ſeu tranſlationes aliasque plures cauſas & morbos præcedentes. Tantò verò minus harum cauſarum numero eximi poſſunt *Vulnerationes*, *lapſus*, *concuſſiones* aliæque violentiæ pulmonibus illatæ.

§. XIX.

§. XIX.

Harum verò causarum pleræque ad ulcerosam pulmonibus constitutionem tandem inducendam conspirant, quatenus specialem sanguinis sive sincerioris sive tantum serosioris congestionem versus pulmones excitant, propriè ac directè ad exonerationem sanguinis floridi vel seroso-mucidioris tantum portionis respectantem: Qui tamen duplex scopus cum æquali successu non semper obtineatur, hinc à retentione puri sanguinis stasis inflammatoria, à sero verò mucido, in vesiculis pulmonum membranaceis intercepto, salsedo atque hinc lenta tandem corruptio seu ulceratio natales suos deducit.

§. XX.

Cæterum quod adhuc causalem nexum quarundam circumstantiarum, in *phthisi pulmonali* observabilium attinet, nempè, quare eidem jam insolescenti latiusque sese diffundenti febris hectica complicetur? Quare tam segnis & languidus phthisicæ hujus exulcerationis sit successus? Quæ tussis aliorumque symptomatum conjunctorum sit conditio? Illorum declaratio pathologica ex principiis nostris non est difficilis. *Febris hectica*, quæ ingravescenti Phthisi utplurimum sese associat, non tanquam effectus ulcerosæ hujus pulmonum corruptionis, ceu à plerisque modernis pathologis fieri solet, considerari debet, sed motus illi febriles *active* instruuntur, inservientes nempè ad ulceratæ partis mundificationem, apospasmatum corruptorum & ulcerosorum abstersionem, ablationem & eductionem, ut hoc medio ulterior, penitior atque profundior visceris nobilissimi corruptio tempestivè præoccupetur & præcaveatur. Quod verò tam lentus ac languidus hujus corruptionis progressus observetur, ratio in eo posita est, quod materia non peccet sanioso-purulenta, quippe quæ longè citius substantiam tenerrimæ partis depasceret, & in corruptionem colliquescentem deduceret, sed seroso-salsa, ulcerosa, quæ non nisi languidis successibus ad plenam corruptionem tendere solet. Interim contabescentiam totius reliqui corporis pedissequam habet, quia non modo ulcerosa talis materia sanguini communicata & hoc modo lege circulationis ad partes

 delata,

delata, nutritioni perficiendæ inepta eſt, ſed & à *priori* prorſus inutile & ſupervacaneum, actui nutritionis operoſe incumbere, quia corruptio viſceris ulceroſa tantopere jam invaluit, ut in integrum tandem reſtitui illud poſſe, nulla rationalis ſpes affulgeat. Tuſſim conjunctam eſſe, abſolutè neceſſarium eſt, quia alias expectorationis ſucceſſus mox fatiſceret, & pulmones materiæ copia obruti ſuffocationem minarentur: Unde peſſimè phthiſicis conſulunt, qui tuſſim, unicum ac ſalutare expectorationis remedium, ſupprimunt ac cohibent.

§. XXI.

Ita verò comparatis phthiſicorum rebus, adparet facilè, *curam* potius *privativam*, quam *poſitivam*, locum obtinere, h. e. efficacius ipſis conſuli, diſſuadendo, quæ eminenter ipſis nocent; quam commendando talia, à quorum tamen uſu indies in pejus ruere videtur affectus: Conſummatam enim, perfectam ac deſperatam phthiſin, nempè pulmonalem, nullam in integrum reſtitutionem admittere, jam aliquoties monuimus; Non quod ſufficienti eorum, quæ facienda ſunt, notitia deſtituamur, ſed quod ſcopos præfixos propter indicationum contrarietatem actu obtinere difficillimum ſit. Intelligimus omnes, materiam ex pulmonibus prius evacuandam, ulcus abſtergendum & ſubcruentum fundum procurandum eſſe, quam de conſolidatione læſionis cogitari queat: Quibus quidem ſcopis egregiè alias ſatisfaciunt *expectorantia* atque *Balſamica*, quorum tamen *priora* graviorem humorum ad pulmones affluxum provocant & invitant; *Poſteriora* verò humores commovent & febrim certiſſimè exacerbant. Ut adeo quorſumcunque ſeſe vertat artifex, inſuperabiles ubique difficultates offendat.

§. XXII.

Neceſſaria ante omnia eſt *expectoratio* ſeu apoſpaſmatum ulceroſorum evacuatio ex pulmonibus; Abſit tamen, ad *expectorationem* voluntariè ſuſcipiendam patientes urgere, inprimis ante ſufficientem ſputi ſubactionem, vel maturationem; Longè enim expeditius ſuccedit *expectorationis* negotium, ſputo perfectè ſubacto, cocto atque præparato. Interim quæ ſcopo huic à Practicis

ticis destinari vulgò solent, uti sunt oleum amygdalarum dulcium, glyzyrrhiza, ficus pingues, jujubæ & sebesten, Loch de pulmone Vulpis, varii syrupi expectorandi efficacia celebres aliaque talia, evacuationem potius *per pectus*, quàm *ex pectore* promovent, eoque ipso copiosiorem humorum affluxum invitando, corruptionem ulcerosam certo certius augent & intendunt. Eodem intuitu interdicimus quoque usui *expectorantium* acriorum, *stimulantium*, qualia sunt oleum destillatum anisi, fœniculi, balsamum sulphuris anisatum, juniperatum &c. Secundum hæc nocentissima quoque sunt tabidis dulcia, saccharata & mellita, quippè quæ ructus nidorosos, saporem amarum & æruginosum relinquunt. Verum quicquid etiam Practicis talibus obloquamur & damna inde emergentia ipsis exponamus, antiquum tamen illi tenent, argumentum insuper hujus suæ methodi à copiosissima materiæ rejectione, expectorantium usum subsequuta, petentes, quam omnem tamen pulmonibus inhæsisse, imperitissimæ quoque plebi vix persuadebunt. Phryges etiam verberati non sapiunt; Et male sanos tales Practicos infelix tot experimentorum successus nihil quicquam corrigit & ad saniorem mentem reducit.

§. XXIII.

*Absterſionem* & *mundificationem* ulcerum egregiè quidem alias præstant *Balsamica*, uti sunt myrrha, terebinthina, sulphur, olea destillata & balsama ex illis parata, sed quæ *ulceri pulmonali* opponuntur, uti sunt balsamum Locatelli, Balsamum Peruvianum, Opobalsamum, de Copayva, balsamum sulphuris anisatum, balsamum antiphthisicum Meibomii &c. inflammationem & febrim augendo, sitim quoque, inquietudines & reliqua phthisicorum symptomata intendunt & exasperant.

§. XXIV.

Famosum illud *antihecticum Poterii* magnis quidem encomiis extolli vulgo solet, sed cum toties incassum fuerit adhibitum, imo intuitu suorum ingredientium, ex quibus constat, potius noceat, quam prosit, famam suam jam dudum perdidit. Exolevit quoque hodie *usus Tincturæ Antiphthisicæ Grammanni*, quæ ex saccharo saturni & vitriolo martis præparari solet: Absit, Saturnina,

turnina, Venerea, Vitriolacea, martialia aliaque talia à cordato Practico phthiſicis propinari. *Pulverem Haly contra tabem* ſola fama commendavit, ſed irritus uſus dudum peſſundavit. *Antimonium diaphoreticum*, ſua alioquin laude non defraudandum, in phthiſi nihil effatu dignum præſtat. Et utinam tandem agnoſcerent Practici, *narcoticis*, potiſſimum *Opiatis* valedicendum eſſe! Quæ quippe ſuperſtites pauculas vires, nulla inpoſterum arte revocabiles proſternunt, febrim exaſperant inordinatioremque reddunt, inprimis verò expectorationem tantopere neceſſariam cohibent ac ſupprimunt. Sed quis cuncta hæc Palladia Practicis eripere audeat, & tamen impunitus manere?

§. XXV.

*Acidulas* Phthiſicis à multis temere in hunc usque diem commendari, non quidem ignoramus; Sed ſollicitamus conſcientiam talium Practicorum, ut candide & ſine fuco nobis eloquantur, quid laude digni ab illarum uſu vel expectaverint vel viderint. *Thermarum* verò moderatus uſus, etiamſi fortè pro circumſtantiarum ratione indiſcriminatim condemnandus non ſit, frequentius tamen damnum quam emolumentum Phthiſicis cauſabitur: Unde qui compendium temporis deſiderat, & maturam mortem in ſuis ægrotantibus videre geſtit, nihil amplius opus habet, quam ut eosdem ad *thermas*, certiſſimum phthiſicorum ſepulchrum, ableget. Sic peccata Medicorum terra tegit; Quia tam pauci revertuntur, de ſucceſſu curæ per *thermas* teſtimonium illis perhibituri, qui ipſos eò ablegaverant.

§. XXVI.

*Cura lactis* nempe humani, ſi haberi queat, vel aſinini vel caprilli, nobis præconibus non indiget. Quid præſtare poſſit vel non poſſit, imò potius ſoleat vel non ſoleat, poſt totidem experimenta eum in finem inſtituta, Practicos artis latere amplius nequit: Niſi prius ulceri pulmonum rectè proſpiciatur, impetus febris mitigetur, inprimis autem primæ viæ debite repurgentur, inanes quoque ſunt & in irritum tandem recidunt, quæ *curæ lactis* tribuuntur, laudes.

§. XXVII.

§. XXVII.

Quorſum verò hæc omnia? Et quid juvat tam operosè avia ac devia aliis commonſtraſſe, niſi etiam via regia indicetur, qua ei incedendum ſit, qui ſecurus de naufragio, ad optatum portum pertendit. Scilicet hæc veſtigia alios terrere debent, ne in eosdem labyrinthos deducant ſuos ægrotantes; Et undiquaque proſpiciendum eſt ſanitatis humanæ nauclero, ut periculoſos ſcopulos, quantum humana providentia permittit, ſedulo ubique evitet. Paucis ut me expediam, *poſitive* adhuc declaranda reſtant pauca tam *conſilia* quam *ſubſidia*, quibus ulterioribus noxiis phthiſeos progreſſibus occurri efficaciter queat, etiamſi vel maximè *in totum* expugnari phthiſis, vel *in integrum* reſtitui patiens non poſſit: ubi tamen rurſus ingenuè ſtatim confitemur, univerſum iſtum conatum in ſola perita potius præſervatione, quàm *fundamentali*, quam *eradicativam* vocant, curatione conſiſtere.

§. XXVIII.

Hoc ipſo monito digitum præcipuè intendimus ad maturè præoccupandum ac divertendum anguſtias illas pectorales, quas congeſtiones, reſtagnationes, infarctus vel ſtaſes ſanguinis, vel ſeri in pectore excitarùnt, antequam profundiorem noxam ſubſtantiæ pulmonum inferre queant, inprimis ſi à *ſuppreſſione fluxuum conſuetorum*, *menſtrualium*, *lochialium*, *hæmorrhoidalium*, *catarrhalium* &c. in ſtatu inſuper *plethorico* originem ſuam habuiſſent. Nihil vero eſt, quod tutius & fructuoſius cunctis iſtis incommodis & damnis inde metuendis occurrere & ſuccurrere queat, quam *Venæſectio* in pede & quidem paulo largius inſtituenda, non neglectis tamen etiam pulveribus nitroſis & ant-orgaſticis prudenter exhibendis, quibus quippe turgeſcentia, orgaſmus & partialis ſanguinis reſtrictio efficaciter mitigari & opportunè præoccupari poteſt.

§. XXIX.

Prætereà verò placidus ordinariarum ſe- & excretionum, inprimis alvinarum ſucceſſus non ſolum omni modo conſervandus, vel, ſi deficiat reſtituendus, ſordes & cruditates in primis viis

obhærescentes, abstergendæ & educendæ, novusque humorum ad pectus affluxus inhibendus vel aliorsum invitandus est, sed & humorum acredo ita mature temperanda, ne profundiorem ulcerationem texturæ pulmonum tandem inducat. Abstergunt verò sordes primarum viarum præter salina digestiva, pilulæ polychrestæ laxantes, horis decubitus assumendæ, quippe quæ sine omni ventris conturbatione, vel ullo alio insigni hinc metuendo incommodo unam vel alteram sedem efficiunt, quæ est egregia prærogativa aliis laxantibus vel purgantibus non æquali jure vindicanda: Fortiora enim purgantia, cum & vires ægrotantium prosternant, & humores impetuosius commoveant, & ipsos quoque pulmones acri suo & caustico sale offendant, phthisicis nocentissima sunt. Materiam verò acrem, ulcerosam, pulmonum cellulis inhærescentem vel per massam humorum diffusam, ne vel majorem successivè acredinem contrahat, vel serpiginosam indolem induendo ulterius pomœria sua extendat, contemperant & corrigunt absorbentia, cum nitrosis ac digestivis diligenter combinanda, qualia sunt lapides cancrorum cum acetositate citri saturati, conchæ præparatæ, mater perlarum, arcanum duplicatum, nitrum antimoniatum & alia talia.

§. XXX.

Si ex defluxione quadam catarrhali, pulmones obsidente, ortum suum haberet phthisis, *anticatarrhalia* prudenter in usum vocanda forent, uti sunt Essentia chacarillæ, pimpinellæ albæ, scordii, succini, alexipharmaca, ex radicibus alexipharmacis paranda &c. vel decocta hordeacea & avenacea vel Emulsiones ex amygdalis dulcibus & pineis cum convenientibus aquis destillatis paratæ. Ex fonte verò chirurgico eodem pro hoc scopo *fonticulos* commendaremus, non obstantibus speculatorum modernorum ratiunculis: Quicquid enim illi hic argutentur & fontanellas legibus circulationis humorum contrarias esse, ad ravim clamitent, confundit & pessundat omnes tales speculationes solida experientia & numerosis plane exemplis quotidie demonstrat, per fonticulos tanquam patentes portas multos vitiosos & inutiles humores excerni; Cujus rei manifestum & ipsis plane sensi-

bus

bus obvium experimentum commendamus juratis fonticulorum hostibus, ut nempè sollicitè expendatur, turunda, ex radicibus iridis florentinæ parata, fonticulo immissa, humorem inde emanantem violaceum spirare odorem? Et quare, si commederint allium vel cœpas, similem exhalare soleat odorem fonticulus? Ut alia brevitatis causa taceam.

§. XXXI.

His interim dextre peractis, ad ipsius tandem *ulceris pulmonalis mundificationem* & *consolidationem* accedendum est, ubi optandum foret, *sulphur vulgare*, sive *crudum* sive in *flores sublimatum* internis talibus ulcerationibus æquè feliciter succurrere, atque quidem novimus, illud effectus hosce reâpse præstare in ulceribus externis, utpote quæ ad tempestivam utique deficcationem deducit, sicuti in scabie observare licet: Jam verò in ulcerationibus talibus internis non solum mundificatorium istum effectum non præstat, sed & planè excretionis libertatem tollit, quo ipso novis tantum pectoralibus angustiis via panditur. *Bennettus* in *Theatro Tabidorum*, ad sordescentes pulmonum ulcerationes abstergendas & simul eorundem tonum roborandum, atque ita novum copiosiorem humorum affluxum intercipiendum & avertendum, commendat halitus atque suffitus, ex thure, terebinthina, styrace, gummi guajacino, myrrha, succino, Benzoë, sarcocolla, mastiche, gummi hederæ, auripigmento &c. paratos, ore aperto excipiendos: Quem in finem duplex describit instrumentum, alterum plumbeum, evaporationibus seu vaporibus humidis recipiendis adaptatum, alterum verò ligneum concavum coniforme, effumationibus, ut auctor barbare loquitur, seu vaporibus siccis admittendis accommodatum, ita nempè, ut super orificium vasis reclinatus æger, capite prono linteo longo obvoluto, pannique extremitatibus circa vasis collum alligatis, evaporationes inspirando intimè in pulmones hauriantur. Pertinet huc experimentum egregium, paucis tamen Practicorum ritè cognitum, nempe tussim molestam valdeque pertinacem solo vapore seu fumo antimonii crudi, ex crucibulo, in quo fusum fuit, evaporantis, illum nempe dedita opera, pando

ore

ore profundaque inſpiratione, in intimum pectus adducendo, ita compeſcendi ac refrænandi, ut intra paucas horas penitus evaneſcat. Eundem in finem *Riverius* fumum, ex *ſandaraca Græcorum* exhalantem, commendavit, quamvis vapores antimonii tutiores eſſe judicemus. Quæ ſanè ritè adhibita, plus præſtabunt, quam omnia famoſa balſama, ſive inquilina ſive exotica interius exhibita.

§. XXXII.

Verbulum addendum eſt de *Specifico antiphthiſico Sydenhammii*, nempè *equitatione* vel itineribus *curru* factis. Nemo exiſtimet, usque adeò deliraſſe *Sydenhammium*, quod crediderit, equitationem, veram, exquiſitam & conſummatam *Phthiſin pulmonalem*, quæ nempè in *pulmonum* profunda exulceratione conſiſtit, eſſe curaturam, quo nempè in caſu potius noceret, quam prodeſſet, ſicuti & concuſſorius ille motus vectura ſeu curru factus. Quare conſilium *Sydenhammii* magis reſtringendum eſt ad *phthiſin hypochondriacam*, *hecticam* & *atrophicam tabem*, quibus quippe in caſibus vehemens talis motus concuſſorius & ſuccuſſatorius ſummo emolumento eſſe poteſt.

§. XXXIII.

Denique ſymptomatibus urgentioribus adhuc proſpiciendum eſt. *Vires* deperditas quodammodo reſtaurant Emulſiones analepticæ; *Febrim* contemperant nitroſa cum præcipitantibus mixta; *Sudores colliquativos* compeſcunt ſpecies de hyacintho. *Diarrhœam* Chacarilla cum maſſa pilularum de Cynogloſſa mitiorem reddit. *Tuſſis* ferociam mitigat nitrum cum ſalibus digeſtivis, Cinnabarinis & maſſa pilularum de Cynogloſſa remixtum. *Sitim* denique fallit una vel altera guttula ſpiritus nitri dulcis, cum potu ordinario exhibiti; Formulas earundemque catalogos ex iis paratos nemo à nobis expectet; Abunde talium occurrit penes Auctores. Formulas remediorum vel transſcribere vel inconditè conſarcinare, agyrtarum & circumforaneorum opus eſt. Qui materiam medicam callet & in operationibus Chymico-Pharmaceuticis, uti decet, verſatus eſt, centonibus talibus non indiget.

FINIS.